

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

966.
23

Q. D. B. P.
DISPUTATIO PHILOLOGICO-
EXEGETICA,
OBSERVATIONES
IN

ΔΥΣΝΟΗΤΑ
QUÆDAM LOCA
CAP. VIII.

ESAIÆ
EXHIBENS,

Quam
PRÆSIDE
CAROLO LUDOVICO HOHEISEL,
Gr. & O.O.L.L. Profesf. Publ.
Ad diem IV. Julii Anno MDCCXXV.
hora X.

IN AUDITORIO ATHENÆI GEDANENSIS ORDINARIO
Publice tuebitur
JOHANNES LUDOVICUS STEPHANI, x:
Neo-Sed. Pom.

GEDANI,
Typis THOMÆ JOHANNIS Schreiber,
SENAT. ET ATHENÆI TYPOGRAPHI. 46

VIRIS
MAGNIFICO, GENEROSO ac CONSULTISSIMO
DN. JOHANNI ANDREÆ
Schimmel /

Confuli Civitat. Ged. Palæopolitanae dignissimo
SUMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO
DN. JOACHIMO Reichmann /
SS. Theol. Doct. ad D. Mariæ æd. Pastori Primario, Reve-
rendi Ministerii A.C.J. Seniori gravissimo,
mibique à Confessionibus Sacris devenerando.

Nec non
PLURIMUM REVERENDIS atq; DOCTISSIMIS
DN. M. HENRICO Siebert /
Wutzlaviensis in Insula Stublaviensi Ecclesiæ Pastori.

DN. MATTHÆO Damiß /
Ecclesiæ Praustensis in Montanorum territorio Pastori.

DN. CHRISTIANO Gottlieb
Rosenberg /

ad D. Georgi apud Ohrenses Pastori Seniori.
DOMINIS, PATRONIS, PROMOTORIBUS
Devotissima animi observantia colendis

*Hæc studiorum suorum primias devota
mente offert*

JOHANNES LUDOVICUS STEPHANI,
Neo-Sed. Pem. SS. Theol. St.

בער
Cap. VIII. 1.

בחרט אנוש:

STYLO ALICUIUS.

§. I.



Uo hic evolvenda: 1. An חרט stylum significet? 2. quid sibi velit vocabulum adjectum אנוש? Magno Interpretum consensu hactenus creditum, vocem חרט styli significatione gaudere. Huic tamen inveteratæ sententiæ Philologus insignis, JACOBUS GUSSETIUS, Comment. lingv. Hebr. p 286. contradixit, eamque his potissimum rationibus labefactare conatus est. α) quod Exod. XXXII. 4. חרט פס significet id, quod Galli vocant un moule, formam excavatam, in quam funditur metallum liquens, puta aurum, ut figuram recipiat. β) quod nostro loco, si receptæ explicationi fides habenda, scribendum fuisset in membrana voluminis: stylum vero ad membranam excavandam ineptum esse, eamque ledere. Unde חרט nostro loco de cista exponit, in qua vestis pretiosa (ita enim פס accipiendum judicat, ad Es. III. 23. provocans) recondi debuerit, ut incorrupta aut occulta servaretur usque ad tempus nativitatæ filii Prophetæ, aliudve idoneum. Et super ea veste vatem hanc cistæ imposuisse inscriptionem: למהר שלל חש ב. Verum enim vero haud leves subesse arbitramur rationes, quo minus conjecturæ huic assensum præbeamus. Nam Autor eruditissimus suæ, quam voci חרט tribuit, significationis originem allegare non potuit. Contra pro

חרט non cistam notat, ut vult GUSSETIUS; sed stylum.

TIUS, Comment. lingv. Hebr. p 286. contradixit, eamque his potissimum rationibus labefactare conatus est. α) quod Exod. XXXII. 4. חרט פס significet id, quod Galli vocant un moule, formam excavatam, in quam funditur metallum liquens, puta aurum, ut figuram recipiat. β) quod nostro loco, si receptæ explicationi fides habenda, scribendum fuisset in membrana voluminis: stylum vero ad membranam excavandam ineptum esse, eamque ledere. Unde חרט nostro loco de cista exponit, in qua vestis pretiosa (ita enim פס accipiendum judicat, ad Es. III. 23. provocans) recondi debuerit, ut incorrupta aut occulta servaretur usque ad tempus nativitatæ filii Prophetæ, aliudve idoneum. Et super ea veste vatem hanc cistæ imposuisse inscriptionem: למהר שלל חש ב. Verum enim vero haud leves subesse arbitramur rationes, quo minus conjecturæ huic assensum præbeamus. Nam Autor eruditissimus suæ, quam voci חרט tribuit, significationis originem allegare non potuit. Contra pro

A

yul-

vulgari sententia militat radix Hebræorum חרת *exaravit, sculpsit, insculpsit* Exod XXXII. 16, ex qua litera aspera ת in tenuem ט mutata, טו חרת propullulasse, *NICOLAUS FULLERUS* Miscell. L. V. c. X. iudicat. Quin Chaldæis Syrisque radix חרט non est incognita; illisque in Aphel significat: *delineavit stylo vel penicillo, his: incidit, sculpsit.* Unde חרט *instrumentum scriptorium seu sculptorium, stylus* vel *calum* commode satis deducendum. Suppetias ferunt expositioni huic voces aliæ cognatæ. Sic v. g. חרטום observante *BUXTORFIO Lexico Talmud.* p. 826. Talmudicis *rostrum* notat, ita dictum vel ab *incidendo*, vel à *figura cum stylo communi*, item חרטמים *magi* hoc nomine insigniti, quia hariolis ad incantationes suas superstitiosis *characteribus & figuris* uti, moris erat, quamvis *HOTTINGERUS Thef. Phil.* p. m. 57. aliam, eamque non inconcinnam adduxerit vocis חרטמים originem. Neque tamen sola etymologia vocabuli חרט novæ illi sententiæ refragari videtur; sed & contextus. Supponamus igitur tantisper, *videtur; sed & contextus.* Supponamus, Prophetam huic vesti inferipisse verba illa: למחר שיל חרט בו; (Veteres enim vestes literis certis nonnunquam notasse, *LEO ALLATIUS Antiquit. Hetrusc.* p. 127, *ALBERTUS RUBENIUS Elect.* L. II. c. 1, *CAMPEG. VITRINGA Observ.* S. L. I. p. 156. & *ANDREAS RITTER* Disput. de vestibus sacris, literis notatis, Lipsiæ 1703. habita, fuisse docuerunt) non tamen mente assequi valeamus, qua ratione super veste cistæ inclusa scribere potuerit Propheta. Si exceperis: vel vestimentum, facta antea inscriptione, includendum fuisse arcæ, vel schedulam verbis his למחר וכן notatam super vestimento cistæ impositam fuisse, neutrum facile conciliabis cum verbis textus sacri, ita se habentibus: קח לך גליון צדורל: ובתוב עליו כחרט אנתו *Sume tibi vestem* (Gussetio ver-tente)

tente) magnam, & scribe super illa in arca. Quæ cum ita sint, coacta videtur omnino ista Viri doctissimi interpretatio, si vero de stylo locus accipiatur, omnia sponte sua fluunt.

§. II.

Nec magnum habent pondus, quæ GUSSETIUS pro sua explicatione urget, argumenta. Certe Exod. XXXII 4. sine fontica causa וַיִּצַר in formam excavatam, liquefcendis metallis inservientem transmutatur. Equidem ambabus largimur, sententiam vulgo receptam de stylo vel cælo, quo Aaron vitulum formasse creditur, dubiis premi gravissimis. An enim cælo formari potest vitulus, qui ad ignem in typo fusus est? Unde est, quod Mosi dixerit Aaron vers. 24. ubi conjeci in ignem, prodiit iste vitulus. Et licet magni nominis Viri, JOH. SELDENUS de diis Syris Synt. I. c. IV. p. 138., HERM. WITSIUS Ægyptiac. L. II. c. II, p. 68. JOH. BRAUNIUS Selectis Sacris L. IV. c. VIII. p. 453. & DN. DETLINGIUS Observ. S. P. I. obs. XX. existiment, Aaronem vitulum ex auro liquefacto fustum, arte aurifabri expolivisse, & omnia signa, figuras notasque, quas Ægyptiorum Apis gerebat, eidem insculpisse, tamen, si hæc ita se habeant, cur ordine præpostero hæc referuntur à Mose: *Et formabit illud (aurum, quod acceperat è manu Israelitarum) cælo, & fecit ex illo vitulum fusilem, cum ordine potius inverso dicendum fuisset: Et fecit vitulum fusilem, quem postea cælo explanavit?* Si forte regesseris, præfixum ו in verbo ויצר reddi posse: postquam, hoc modo: *& sumsit ex manu eorum (aurum) & formavit illud cælo, postquam fecerat ex eo vitulum fusilem, respondemus: hac ratione injuriam fieri accentibus, majoremque distinguendi valorem tribui וצֵר Rebbia Duci, in voce מיר, quam וצֵר Sakephkaton Regi in voce בחרט. Unde*

Gussatii ob-
jectio prior
soluitur, ex
Ex. XXXII.
4. cui loco
lux affunditur.

cum *BOCHARTO Hierozoic. L. II. c. XXIV.* locus iste de marsupio seu loculo, in quo ligavit Aaron monilia aurea sibi tradita, accipiendus videtur, præsertim cum 2. Reg. V. 23, (uti *לִּי צַר* junctum *לִּי צַר* occurrit,) verba: *וַיִּצַר בְּשֵׁנֵי חֲרִישֵׁי* *וַיִּצַר בְּשֵׁנֵי חֲרִישֵׁי* vix alio nisi hoc gaudeant sensu: *Et recondidit duo argenti talenta in duobus marsupis.* Id tamen nequaquam contra locum, quem jam præ manibus habemus, urgeri potest. Ibi enim contextus docet, vocem *חֲרִישֵׁי* de stylo accipi vix posse, hic vero contextus styli significationem non tam svadet, quam postulat. Taceo, significationes has diversas, quibus *חֲרִישֵׁי* subjacet, non sibi invicem plane contrarias; sed facili negotio inter se conciliandas esse. Marsupium enim seu loculum unum idemque nomen cum stylo accepisse verosimile, quia communem cum stylo figuram, quæ conica est, repræsentat, prouti *BOCHARTUS* l. c. observat.

§. III.

Solvitur ob-
jectio poste-
rior Gussarii
de membra-
na per sty-
lum lade-
da.

Alterum, quod *GUSSETIUM* fatigavit, dubium de læsione membranæ per stylum facilius expediri poterit. Nam *גַּלְיָן* non de volumine ex foliis membranaceis composito; sed de tabula accipimus, quemadmodum & *JONATHAN* id per *לִוּחַ* exposuit. Neque a radice *גַּלַל* *volvit, convolvit*; sed à themate *גַּלַל* quod in Piel non secus ac in Kal *revelandi, retegendi* significatu gaudet, suam trahit originem, ut à radice *גַּלַל* *חֲרִישֵׁי*, *חֲרִישֵׁי*, *חֲרִישֵׁי* *גַּלְיָן* à *גַּלַל* *גַּלְיָן* à verbo *נָקַח* à *נָקַח* ex *שָׂגַח*. Hinc *גַּלְיָן* notat tabulam retectam & apertam, sive lapidea fuerit, sive plumbea, cui inscribendus erat sermo divinus. Prophetas enim olim ejusmodi tabulis suas insculpisse orationes, & publice populo legendas proposuisse, ex *Ef XXX. 8.* & *Habac. II. 2.* fudo clarus est. Diversum igitur, si sensum spectes, est nostrum *גַּלְיָן* à nomine *גַּלְיָן* sine *dagesch*, quod *Ef. III.*

repe-

reperitur, licet origo utriusque vocis forte sit eadem, cum גליון *tabula* & גליונים *vestes pellucide* (de quibus *Disput. prima in duosionia Esaiæ* loca p. 35. fqq. diximus) à retegendo nomen acceperint.

§. IV.

Evoluta vocis חרט notione, ulterius disquirere possemus: propriene an improprie stylus h. l. sit accipiendus? siquidem *HADRIANUS BEVERLANDUS de stolata virginitatis jure*, p. 208. & *PETRUS DANIEL HUETIUS Demonstrat. Evangel.* Proposit. VII. p. m. 595. edit. Lips. allegoriam à verecundo Scripturæ stylo prorsus alienam hic sectati sunt. Verum hanc sententiam nec prolixè refellere, nec leviter attingere est animus, ne forte reverentiæ, quam Sacro Codici debemus, terminos egrediamur. Potius lectores nostros ad *WITSIUM Miscell. S. L. I. c. XII.* & *DEYLINGIUM* l. c., atro carbone interpretationem *HUETII* notantes, remittimus. Cæterum communi sententiæ inhærentes, de stylo proprie sic dicto sermonem esse non dubitamus, cum nulla literam deferendi necessitas hic adpareat.

חרט non allegorice; sed proprie accipiendum.

§. V.

Vocabulum אנוש, ad quod pedem jam promovemus; pariter variis variorum conjecturis ansam suppeditavit. Plurimi *CHALDÆI* vestigia legentes, per חרט אנוש *stylum hominis* Scripturæ evidentiam notari arbitrantur, quod nimirum non obscure & ænigmatice; sed perspicue, clare, manifestis ac ad legendum aptis characteribus verba ista: למהר וכ' exaranda sint, adeo ut אנוש כל *omnis homo*, qui legere didicit, Scripturam hanc facile percurrere possit. Sed quamvis Latinis *stylus* pro Scriptura seu scribendi genere usurpetur, veteres tamen Hebræos voce חרט, quod instrumentum scriptorium vel sculptorium notat, in hac signifi-

Varia de voce אנוש sententia examinatur.



catione ufos esse, non satis constat. Præterea alibi phrasis ista: *scribere aliquid clare ac perspicue* per כָּן בְּאֵרֶךְ exprimitur. Conf. Hab. II. 2. & Deut. XXVII. 8. Ex aliorum sententia uocabulum אָנֹכִי adjectum, ut indicetur, Scripturam hanc non rationem uisionis Propheticae habere; sed proprie ac realiter uerba à DEO mandata tabulæ inscribenda esse. Ita R. DAV. KIMCHI, & ABABENEL sentiunt, quibus B. VARENIUS Comm. ad h. l. suum adiecit calculum. Neque nos inficias ibimus, Scripturam hanc ueram, propriam & sensualem, non mentalem & imaginariam fuisse; nihilominus, an hoc per uocem אָנֹכִי præcise indicetur, dubitamus, quia locis aliis, ubi talia narrantur, quæ uere gesta sunt, nusquam כָּן אָנֹכִי vel simile uocabulum adjectum reperitur. Ne dicam, ex ipso contextu sole meridiano clarius elucescere, uere hæc scripta esse, etiam si כָּן אָנֹכִי non adjiceretur.

§. VI.

*Nostra ad-
jicitur.*

Nobis igitur אָנֹכִי infinate sumendum uidetur, & per כָּן aliquis, quispiam exponendum, hoc sensu: *scribe stylo alicujus*, seu: sume stylum ab aliquo, qui primum tibi obuenerit, & scribe: לְמַהֵר שֶׁלֵּךְ חֵשׁ בּוֹ *ad accelerandum spoliū festinat*, (ac) *predatur*, h. e. Rex Assyriæ festinat ad spolia opima, hostibus contra Judæam congregatis, celeriter detrahenda. Quemadmodum uerba ipsa literis mandanda spolorum hostibus festinanter eripiendorum erant symbola, ita & scribendi actus sine longa temporis mora, sine cunctatione suscipiendus erat. Unde stylum alicujus, qui forte ad manum esset, (Germani dicerent: vom ersten, vom besten) sumere, & ea, quæ DEUS iusserat, tabulæ insculpere debuit Propheta. Quod כָּן אָנֹכִי sensu infinito sumi commode queat, omnes largientur, qui pensauerint, uoces אִישׁ וְכָל אֶרֶץ אֲדָמָה eadem ratione haud raro usur-

ufurpari. Conf. Gen. XLV. f. Job XXII. 2. & Levit. I. 2.
 Hacque omnino significatione nostrum אנוש, ut ex multis
 pauca allegem, occurrit Ef. XXXIII 8. לא חשב אנוש *noz*
babet rationem cujuspiam, & C. LI. 7. אל תיראו חרפתי
 אנוש *ne timetote probrum alicujus.* Chaldæis Syrisque אנוש
 אנוש eodem sensu accipitur. Conferatur Novum Testa-
 mentum Syriacum Matth. XV. 20. XVII. 47. Addatur
 Dn. DANZII *Syriasmus* §. 52. Hæc sunt, quæ de חרט
 אנוש commentari placuit. Non auctoritatem אנוש *bo-*
minis ullius; sed unice veritatem hic sectati sumus; an ean-
 dem quoque simus affecti, non nostrum; sed aliorum erit
 judicare.

C. VIII. 6.

ומשש את רצון ובן רמליהו :

Et liquefactio propter Rezinum & filium Remalje.

§. I.

PArum negotii nobis facesseret hic locus, si ad X tri-
 bus Israelis cum Interpretibus celeberrimis, VARE-
 NIO, SCHMIDIO & VITRINGA eundem traheremus, &
 redderemus: *& gaudium est apud Rezinum & filium Remalje.*
 Sic enim taxaretur his verbis vana fiducia Regum, qui Judæam
 invaserant, Rezini & Pekachi, quod animis elati, viribusque
 suis nimium tribuentes, triumphum ante victoriam cane-
 rent, & de felici expeditionis suæ successu nulli dubitarent.
 Enimvero tantum abest, ut hæc sententia firmo nitatur
 talo, ut potius maximis prematur difficultatibus, si totus
 contextus æqua lance pensitetur. Universa enim hujus
 Prophetici sermonis series non adversus Israelitas; sed con-
 tra Judæos dirigitur. Judæi sane, non dissentibus expo-
 sitionis allatæ Patronis, sunt ille populus, quo de priori
 versus hemistichio dixerat Vates: *eo quod spernit populus*
iste

Non ad Isra-
elitas; sed ad
Judeos tra-
benda hæc
verba.



iste aquas Siloæ euntes placide, quibuscum arcte cohærent verba nostra: ומשש את רצין. Ad Judæos quoque solos spectare videntur pœnæ, versu 7. & 8. denunciata. Quare & tantum Judæorum, non Israelitarum delicta, ad quæ pœnæ subsequentes respectum habent, versu 6to exagge-
rari, vero consentaneum est.

§. II.

*Varia va-
riorum sen-
centia.*

Sed si de Judæis hic sit Sermo, quid sibi velint verbâ Prophetæ, merito quæritur? *PISCATOR* locum ita expo-
suit: *Et gaudium ei est* (præliandi) cum *Rezino* & *filio Re-
malje*, quia nimirum populus Judaicus ab Assyriis auxili-
um expectabat. Verum hæc scopum Prophetæ non feri-
unt. Qua, dic fodes, ratione populus Judaicus ob adven-
tum hostium metu ingenti suspensus, teste *Esaia C. VII.*
2. prælio cum hostibus gaudere posset, cum immanis ho-
stium vis ante oculos versaretur, Assyriorum autem auxi-
lium procul abesset. *VATABLIUS* & *GROTIUS* existimant,
indicari h. l. multos Judæos, sprete domo Davidis, optate,
transferri regnum ad Syros & ad Reges Israelis Syris ad-
hærentes, adeoque in sinu suo gavisos esse de prospero re-
rum suarum successu, quem sub imperio Israelitico & Sy-
riaco sibi pollicebantur. Sed non solus Rex Achasus, ve-
rum universus Judææ populus commotus fuit, quemadmo-
dum moventur arbores *Sibæ* propter ventum, fama de ho-
stium adventu percrescente *C. VII. 2*: quæ commotio
totius populi quomodo cum gaudio conciliari queat, non
adparet. Præterea si objectum gaudii hujus forent hostes Ju-
dæorum, *Rezinus* & *Pekachus*, *וְשֵׁשׁ* non cum particula
את; sed cum *על* vel *ב* construendum fuisset. Conff *GVI-
LIELMUS ROBERTSON Thesaurus lingvæ S. p. 1155.*
STOCKIUS Clav. lingvæ sanctæ, p. 1307. & *COCCEIUS*
Lexic. p. 875. *FORERIIUS*, licet in eandem, quam *VATA-
BLES*

BLIUS & GROTIUS amant, sententiam abeat, aliam tamen eamque novam in medium protulit conjecturam, ratus, **לִּפְעוּל** esse posse infinitivum verbi **פָּשַׁח** palparit, *contrectavit*. Contrectare vero & palpare *Rezinum & Pekachum*, idem esse ac tentare inire foedera cum istis Regibus, atque de deditioe tractare. Verum sic nodus non solvitur; sed fecatur. **פָּשַׁח** *ehim* cum punctis in latere dextro palpandi significatum obtinet, h. l. autem duplex **פ** cum puncto in latere sinistro reperitur, quæ punctatio temere sollicitanda non est. Ut taceam, Regem Achasum de foedere cum hostibus ineundo non cogitasse; sed potius opem Assyriorum contra hostes implorasse. 2. Reg. XVI. 7, 8. & 2. Chron. XXVIII. 16.

§. III.

Si nobis conjectationem nostram circa locum hunc *Nostra conjectura.* vexatum proponere concessum, existimamus, significationem gaudii, quam vox **פָּשַׁח** hic vulgo sustinere creditur, in significationem gaudio è diametro contrariam, *terroris* videlicet & desperationis transmutandam, & vocabulum hoc non è radice **פָּשַׁח**; sed è themate **פָּשַׁח** repetendum esse. Literas **פ** & **ס** sæpissime inter se permutari, certo certius. Ita e. g. **שְׂכָלוֹת** pro **סְכָלוֹת** Eccles. I. 17. coll. C. II. 13. **שָׁפַק** pro **סָפַק** Job XXXVI. 18. **מִשְׁפַּח** pro **מִסְפַּח** Es. V. 2. **בְּשׂוּרֵי** pro **בְּסוּרֵי** Hof. IX. 12. & **וַיִּסַּר** pro **וַיִּסַּר** 2. Chron. XX. 3. coll. 2. Sam. XII. 31. De quo ultimo loco vexato legi meretur *Dn. DANZII Davidis in Ammonitas devictos mitigata crudelitas*. Quæ cum ita sint, nihil obstare arbitramur, quo minus dicamus, nostrum **פָּשַׁח** esse *avri* **פָּשַׁח** *erit* (Assyrius) *sicut liquefcit* (metu) *signifer*, crepto vexillo, vel, ut *B. SEB. SCHMIDIUS* *Annot.* locum istum interpretatur; *sicut liquefactio signiferi*, infinitivo naturam & significationem *nominis*

B

in.

Sed non erit obtenebratio ei, cui angustia fuit, (ut tempore priori vilem fecit terram Zabulon & Naphtali, ita tempore posteriori honorabit), via maris trans Jordanem, Galilææ gentium.

§. I.

V Erba hæc inter *diversæ* Esaia referenda esse, variæ *Scopus Pro-*
variorum versiones, ab *ANDR. REINBECKIO Do-*
pheta, sen-
Strina de accentibus Ebr. p. 383. sq. collectæ lucu-
suæ loci.
 lenter comprobant. Procul dubio illorum sententia reli-
 quis palmam præripit, qui h. l. prospera quævis & læta Ga-
 lilææ, terræ Zabulonis & Naphtali, olim gravius pressæ,
 prædici autumant. Postquam enim Propheta tristia Israe-
 litarum fata sub schemate spissæ caliginis delineasset, jam
 orationem suam vertit ad describendum illorum statum fe-
 licitatis, quos Sol justitiæ, Christus, Evangelii sui radiis sit col-
 lustraturus. Cumque hanc lucem genti in Galilæa oritu-
 turam prævideret, non fore Galilæis spissam caliginem tem-
 pore N. T., quamvis temporibus præcisis angustia præ reli-
 quis terræ Ephraimiticæ incolis pressi fuerint (siquidem Ga-
 lilæi h. e. Zabulonitæ & Naphtalitæ à Tiglath-Pilesero
 ante Israelitas reliquos è regione sua abducti sunt, & in bel-
 lis omnibus, quæ Ephraimitæ gesserunt, semper fere primi
 fuere, qui hostiles impetus sustinuerint). Quin sicut DEUS
 antea ludibrio hostium exposuerat hanc regionem, ita tem-
 poribus novissimis Numen benignissimum eandem insigni
 honore affecturum esse per primam Evangelicam Messia
 prædicationem, per primam Salvatoris nostri in oris istis
 manifestationem, ita ut populus iste in tenebris olim con-
 stitutus, primum sit visurus lucem illam magnam, de qua
 C. IX. 1. loqui pergit Vates.

§. II.

Equidem *Dn. CHRISTOPHORUS MATTHÆUS PFAF-* *De felicitate*
FIUS Nor. in Mattheum, p. 48. autor est, textum tam diff-
spiritali N.
B a cilem

T. locus litem esse, ut qualis precipua illa Galilea calamitas fuerit, à qua
 raliter accipiendus. postea liberati fuerint ejus regionis incole, vix perspicui possit: Nam è
 captivitate Assyriaca nullam ipsis contigisse liberationem. De externa

tamen calamitate Esaiæ sermonem esse; hinc & externam hanc debere
 esse liberationem. Interim largitur, mystico, vel, ut alii malunt,
 accommodatio sensu ad prædicationem Christi in Galilea factam, hæc
 & qua Cap. IX. 1. sequuntur, trahi possit. Verum enim vero, cum
 ipse Vir eruditissimus fateatur, non perspicui posse, qualis illa
 fuerit calamitas terrestris, è qua erepti sint Galilæi, utpote in
 captivitate Assyriaca perpetuo detenti, cur, quæso, diffidetur,
 literaliter hic agi de liberatione spirituali, à Messia expectan-
 da? Maxime, cum Spiritus S. optimus verborum suorum in-
 terpres, Matth. IV. 15., haud obscure testetur, tempore Christi
 impletum esse hoc Esaiæ dictum. Accedit, contextum explicationi
 nostræ paulo ante allatæ magnum pondus addere, Vate
 nostro officium & nativitatem Salvatoris Cap. IX. 1. sqq. nati-
 vis coloribus depingente. Illa autem, quam Vir clarissimus
 necit, consequentia: externam debere esse hanc liberationem; quia
 de externa calamitate sermo est, oppido, quod pace Ipsius dix-
 erim, infirma nobis videtur. Nam cum de externa corporaliq;
 liberatione spem facere non posset Galilæis Propheta, animos
 eorum afflictos, solatio efficaciori, spirituali scilicet Christi re-
 demtione (more Prophetis familiari) erigere conatur.

§. III.

Voces palmaria, que Sed non erit obtenebratio ei, cui angustia fuit, (Ut tempore prioris honoris
 difficultate fecit terram Zabulon & Naphtali, ita tempore posteriori eam honoris
 laborant, e- vis;) via maris, trans Jordanem, Galilea gentium. Particulam כִּי
 voluntur, adverbative accipimus, quia versu præced. tristitia Israelitarum
 fata exposuerat Esaias, nunc in lætioribus pollicendis occu-
 patus. Confer de hac particula כִּי significatione 1. Reg. XXI.
 15. 2. Reg. I. 4. Job. XIII. 16. Adde NOLDIUM p. 404. מוֹרֵץ
 nomen substantivum esse videtur (non secus ac מוֹרֵץ) radi-
 cis מוֹרֵץ, quæ non tantum notat: volare, & defatigari; sed &
 obscurum esse. Sic Job. XI. 17. הַיְהִי כְבֶקֶר תְּהִיָּהּ si caligaverit,
 ut maculinum erit. Videatur GOCCEIUS, Lexic. p. 599.
 Ita

Ita & Jud. IV. 21. ויער ex sententia לֹא LXX. ἐσθλῶσθη obtenebratus est, (tenebrae illi offuse sunt). Hinc est עיפה caligo Amos IV. 13. Voces הקל & הכביר non præcise sensum levandi & aggravandi, seu levius & gravius affligendi, ut multis placet; sed vilipendendi & honorandi obtinere, ex I. Sam. II. 30. cernere licet, ubi radices hæ כבד & קלל junctæ, hac in significatione occurrunt: מכבדי וכזי יקלו honorantes me honorabo, & vilipendentes me vilipendentur. Ne vero cum VITRIN-G A Comm. p. 287. dubites, an כבד extra nostrum locum, etiam in conjugatione Hiphil hoc sensu occurrat, en duo loca, ubi verbum כבד in Hiphil honorandi, gloriamq; tribuendi sensu gaudet! Unus reperitur Jer. XXX. 19. & multiplicabo eos, ne minuantur והכברתים & honorabo eos ne minores fiant, (seu contemptui habeantur). Alter existat 2. Chron. XXIV. 19. Ideo extulit se animus tuus להכביר gloriam tribuendo tibi ipsi. Per הים דרך הים viam maris accolæ maris Galilæi intelliguntur, Interprete Matthæo C. IV. 13. sqq. Quod ad verba: עבר הירדן attinet, licet עבר irans & cis notet, adeoque terra cis Jordanem sita, hoc nomine intelligi possit, tamen non sine insigni verosimilitudine Clar. VITRIN-G A docuit, עבר הירדן hic accipiendum de tractu, qui medius erat inter mare Galilææ & Galilæam gentium, quique partem aliquam Galilææ gentium constituerebat, sive de extrema Jordanis ora, quæ erat supra mare Galilææ, nec tantum notare tractum cis-Jordanensem, qui proprie tenebatur à Naphtalitis, sed & trans-Jordanensem, sive Decapolitanam dititionem, ubi Christum versatum esse, fidem faciunt Evangelistæ. Vide Marc. VII. 31. coll. Matth. IV. 25. & Marc. V. 20. Porro גליל הגרים Galilæa gentium videtur esse Galilæa superior, quæ proxima est Phœnicæ, vel terris gentium ad Aquilonem; Ita dicta, quod non tantum contermina esset gentibus; sed & quod gentes mixtæ eam inhabitarent. Lucemque seneratur huic expositioni STRABO Geogr. L. XVI. p. m. 1103. edit. Amstelod. de anno 1707. fol. ita scribens: ταῦτα μὲν περὶ ἀρμενίας, ἃ πολλὰ δ' ὡς ἕκαστα εἰσὶν ὑπὸ φύλων ἐκείμενα μνησθῆναι ἐν τῷ Ἀργυπθίων ἐθνῶν καὶ Ἀραβίων καὶ Φοινίκων. Τοῖσδε γὰρ

γὰρ οἱ Ἰὴν Γαλιλαίων ἔχοντες. Atque hæc quidem versus Septentrionem sunt, & magna ex parte ex mixtis gentibus habitata, Ægyptiis, Arabibus & Phœnicibus. Nam NB. sales sunt, qui Galilæam habent. Et 1. Maccab. V. 15. Γαλιλαία ἀλλοφύλων salutatur illa ipsa regio, quæ nostro Vati הגוים גליל audit.

§. IV.

*Parenthesis
hic admit-
tenda,*

Tandem de parenthesis, quam fecimus, hæc observanda, omnes illos, qui ultima verba: דרך הים וכ' cum immediate antecedentibus connectunt, accentuum tenorem æqua lance vix pensitare, majoremque distinctionem in vovula לה, quæ *Segolta* gaudet, quam in verbo הכביד, *Atna-cho* notato, admittere. Huic igitur difficultati ut occurramus, verba ista: בעת הראשון הקל ארצה וכלון וארצה: נפתלי והאחרון הכביד parenthesis includenda, & ultima: דרך הים וכ' non cum voce: הכביר; sed cum superioribus: כי לא מועה לאשר מועק לה connectenda arbitramur, subaudito præfixo ל' ante דרך. Notum enim est, parenthesis Ebræorum in illa, qua clauditur, voce magnam distinctionis sedem constituere, & nullam hac majorem præcedere debere. Videatur B. DAN. WEIMARUS *Do-*

ctrina accentuatoria, p. 26.

TANTUM!



Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3




PH 306

VD 77

NC







966.
23

2. D. B. 7.
DISPUTATIO PHILOLOGICO-
EXEGETICA,
OBSERVATIONES
IN

ΔΥΣΝΟΗΤΑ
QUÆDAM LOCA
CAP. VIII.

ESAIÆ

EXHIBENS,

Quam

PRÆSIDE
CAROLO LUDOVICO HOHEISEL;

Gr. & O.O.L.L. Profess. Publ.

Ad diem IV. Julii Anno M D C C X X V.

hora X.

IN AUDITORIO ATHENÆI GEDANENSIS ORDINARIO

Publice tuebitur

JOHANNES LUDOVICUS STEPHANI, x:
Neo-Sed. Pom.

GEDANI,

Typis THOMÆ JOHANNIS Schreiber,
SENAT. ET ATHENÆI TYPOGRAPHI. 46